

Kern 238(1-20)



15

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
SISTENS  
**HISTORIAM FEBBIS BI-  
LIOSAE CVM PLEVITIDE  
ET MILIARIBVS**

Q V A M  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS

ET  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
PRAESIDE

**D. WILHELMO BERNHARDO  
TROMMSDORFF,**

FACVLT. MED. ADS. ET PROF. PVBL. ORD. P. T. DECANO, ACAD.  
IMPERIAL. NAT. CVR. NEC NON ELECTORAL. MOGVNT.  
SCIENT. MEMBR. ORD.

*PRO GRADV DOCTORIS*

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
RITE IMPETRANDIS

DIE X. APRIL. MDCCLXXX.

PVBLICE DEFENDET

AVTOR ET RESPONDENS

**CAROL. ERNEST. SCHMIDT,**

HAAGO-AVSTRIACVS.

---

*ERFORDIAE,*

EXCVD. HENR. RVD. NONNE, AG. TYP.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

DE  
FEBRIS  
ET  
MALARIA

AVTORIS

WILHELMO RICHARDO

SCHMIDT

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE


PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE





## HISTORIA MORBI.



Vir quinquaginta circiter annorum, temperamenti melancholici, cum ex consuetudine, & ob vernale tempus sanguinem sibi detrahi curaverat; sequenti die vehementi commovebatur ire. Hanc statim frigoris, deinde caloris vehementioris sensus, cutisque cum siccitate sequebantur. Pulsus frequentior, debi-

A 2

lior

lior & durior arteriam distendebat. Respiratio anxiosa & laboriosa erat. His symptomatibus capitis dolor & sitis ingens, agrypnia accedebant.

Altero die, quo, in auxilium vocatus, agrum accedo, supra relata symptomata deprehendebam cum flavescente cutis, faciei & oculorum colore & virium appetitusque magna prostratione.

Statim cum morbi genus ex causis antecedentibus & symptomatibus cognovissem, vomitorium suavi quidem; sed, quoniam aeger hoc auxilium, an ex praconcepta opinione, an naturali quadam dispositione perhorrescebat, mutavi consilium, & remedium purgans antiphlogisticum, ex pulpa Tamarindorum, foliis sennae & cremore tartari exhibui. Quo assumpto, nausea corripitur aeger, & vomitu partem cum multa bile & pituita remixtam rejicit, pars per alvum magnam vim bilis & mucis educit.

Tertio morbi die oculorum & cutis color ad naturalem fere statum redibat; febris tamen reliqua symptomata perdurabant. Urina, quae antea pellucida erat, turbida nunc & limosa, absque tamen ullo sedimento sedebat.

Adhi-



Adhibui nunc medicamenta acidula, temperantia, & diætam vegetabilem, potumque ex decocto hordei cum oxymelle simplici paratum, reliquum regimen morbo conveniens præcipi; sed absque ullo symptomatum levamine, ut febris ad septimum usque diem magis urgeret.

Septimo die æger difficiliori nuncangebatur respiratione, cum dolore laterum accedebat conatus ad tussim, quæ simul cum excreatione per dolorem supprimebatur. Ad tussim facilitandam, & expectorationem promovendam, præscripsi infusum ex floribus Sambuci, herbæ Veronicæ, & radicis Glycirchizæ; atque linctum ex oxymelle simplici cum sulphure aurato antimonii mixtum, cum modo dictis temperantibus medicamentis conjunctim adhibenda.

Sed in cassum, omnia enim symptomata æquali tenore procedebant. Neque seminum sinapios revellens vis, plantis pedum adplicata, quidquam efficiebat in sedandis anxietatis respirationis symptomatibus ut vix capitis dolorem mitigaret.

Bilis corruptæ acris copiam & irritantem vim ad intestina, indeque ad sanguinem delatam, malorum causam



esse, ex medicamentorum adhibitorum inertia suspicabar; adeoque etsi signe turgescentiæ deficiebant, & habitus cutis & oculorum naturalis erat, octavo die iterum medicamentum purgans antiphlogisticum porrigebam, quod cum canalem intestinalem rite evacuaret, maximam partem symptomatum simul auferebat, ægrotumque maxime levabat.

Respiratio nunc libera peragebatur, pulsus mollior atque ad numerum naturalem redactus assurgebat, tussis & dolor laterum capitique cessabant, & appetitus redibat. Ex urina nunc multum sedimenti subflavi, seu limosi, & in fundo vasis rosei coloris præcipitabatur.

Ast nova nunc morbi facies in scenam prodibat: ægrotus per omnem corporis ambitum de dolore punctorio & de sensu tumoris urentis in ano conqueritur. Adeoque cutim curiosius inquirō, in qua efflorescentias miliaris rubras purulentas disseminatas, invenio. Exque ano varices juglandis magnitudine protulerant.

Hirudines adplicari jussi, sed & has respuebat impatiens æger. Fomentationes itaque ex herbis emollientibus paratæ in auxilium vocantur, cum in finem, ut varices

ces





ces eo facilius ad rupturam disponerentur, idque eo magis, cum facile ex tanta mole resolutionem expectares.

Sed quid sit? naturæ vires, quarum rationem medicus rarissime computare valet, hoc opus aggrediuntur, tumores resolvunt, qui primo flaccecebant, deinde in dies decredebant & tandem evanescebant, adeo ut die decimo quarto morbi vix ullum eorum vestigium esset reliquum.

Efflorescentiæ vero miliares, quas biliosas appellare liceat, absque ullo symptomate molesto, si pruritus excipias, relicta, tandem evacuantibus acidulis repetitit, & solventibus, tandemque tonicis cedebant. Cumque cutis per omnem ambitum desquamatione sanitas & vires redibant, morbiq; aderat

FINIS.

EPI-



## EPICRISIS.

## I.

*Genus & species morbi.*

**T**anta est morborum, qui vitam hominum infestant, multitudo & varietas, ut mente concipere vix posset humana imbecillitas, nisi enumeratione methodica juvaretur. Adeoque maxime laudanda est solertia clariss. viorum, qui in ordinandis morbis, per classes genera & species, uti naturæ historici solent, desudavere.

Quo vero ordine morbum nostrum apud varios auctores systematicos conquiras difficile est: nisi enim varios morbos ex diversis ordinibus desumptos in unum, qui nostro morbo similis sit, componas, haud uno loco deprehendes. Quæ res, etsi minus exercitatio aliquid negotii facessit, laboris tamen præmium certa est ac definita morbi cognitio.

Duce enim Linneo \* morbus noster ex *Amphimerina*, *Pleuritica* & *Miliaria* componendus est.

Sauva-

\* Genera morborum; in Amœn. Vol. VI. p. 455.



Sauvagesii \* ordines si perlustres, ut morbum inve-  
nias, ex *Amphimerina biliosa*, *Pleuritide biliosa* & *Miliari*  
(speciem nostram ditissimus alias autor specierum per cau-  
sas definitorum, non habet) constare deprehendes.

Apud cel. Sagar \*\* inter *Amphimerinas* & *Pleuritides*,  
ubi biliosas habet species, & inter *Miliares*, symptomata  
est, quæ a nostra proxime abest, seligendus est noster  
morbus.

Mirabitur certe quisque practicus, si tot ex variis  
ordinibus corrosos morbos, unico pharmaco debellatos  
fuisse intelligit. Ast si causam horum morborum, quæ si-  
mul in modo citatis autoribus indicata est, consideret, mi-  
rari desinet, cum una eademque causa productos esse lege-  
rit, adeoque causa sublata, morbus tollitur, & quidquid  
est, quæ inde erumpunt, symptomatum, silent.

Celeb. Vogelii biliosarum genus arctioribus deinde  
restrinxit limitibus, ut febrim biliosam ardentis faciat spe-  
ciem,

\* Sauvages Nosologia methodica T. II. P. I. p. 289. 453.

\*\* Ioh. Bapt. Mich. Sagar systema Morbor. symptomaticum,  
p. 694. 631. 589.



ciem, \* reliquasque autorum febres biliosas vel ad remittentes, vel ad synochum putridam relegat: adeoque, uti ipsius verba sunt, quidquid febrium (continuarum) sive simplicium sive compositarum h. e. inflammatoriarum aut exanthematicarum, in humoribus corporis humani excluditur, illud in se synochus vel simplex vel putrida habenda est. In qua re proprius naturæ leges accessisse, quam reliqui systematici, mihi videtur.

Vnicus fere est cel. Sellius, qui annuente natura adeo felici conamine symptoma febrium collegit, ut naturalia inde constitueret genera, quæ simul medicum de instituenda medela monerent. Pertinet vero morbus modo descriptus, si ordines Sellii sequamur ad ordinem *Remittentium gastricarum*, ubi sub genere primo *Febrium biliosarum inflammatoriarum* inter species complexas, cum *inflammatione pleuræ* & miliaribus deprehenditur.

Sellius cum Vogelii sententia proxime convenit, ut tamen symptomata accidentia uberius exponat indeque species constituat. cum sibi classem febrium seorsim elaborandam sumserat.

II.

\* Rud. Augustin. Vogel Praelction. de cognoscendis & curandis præc. corp. hum. affectibus. Gætt, 1772. §. 50. 83.



II.

*Hepatis in iracundia praevalens vis.*

Bilis soluentem & irritantem virtutem continuus intestinorum motus aliaque physiologorum experimenta demonstrant. Hæc continuo flumine ad intestina defertur, ibique ceteris succis intestinalibus cibusve remixta vasis refoebetur, bibulis, sanguinique redditur, omnesque corporis functiones placide & ad naturæ leges peraguntur.

Si itaque curatius historiam morbi antea relatam consideramus, ægrum nostrum antequam ira commovebatur ullo de incommodo ex bile conquerebatur. Qui autem fit, ut eadem bilis quantitas & sæpe major nunc sine ullo incommodo feratur, nunc enormes concitet turbas?

Duo sunt, quæ in ægro attentenda veniunt: primo temperamentum melancholicum; deinde animi commotio. Temperamentum melancholicum quædam exhibet, quæ ad explicationem morbi facere possunt. In solidis nempe fibra debilis maxima cum irritabilitate, in humoribus ea mixtio, quæ secretioni bilis favet sanguis nimirum phlogisto intime immixto ditior, indeque tenacior. Interim melancholici hanc sui corporis indolem ferunt & sani sunt,

sunt, non nisi dispositionem ad morbos biliosos habentes; adeoque ex eo temperamento nil, nisi quod talis morbus in illud cadere possit, præsumi potest.

Animi commotiones maximam in corporis œconomiam vim exercere, res antiquitus nata est. In duas autem, ratione effectus præcipue, dividi possunt classes: prima, quæ motus musculares inde auctor; altera, quæ eosdem depresso continet. Ad primam affectus jucundi pertinent omnes, atque ex ingratis, ii, in quibus sensus virium malum avertendi, injuriam ulciscendi præsto est. Ad alteram omnes ingrati, cum desperatione præsertim juncti.

Iracundiam ad primam classem referendam esse, ad spectus irati hominis docet. Facies sanguine effuso fervens, atroces oculi vindicta fulgentes, muscoli omnes contorti, cordis concitatus, motus, sanguinis tumentem undam urgens, ut vasa & omnia & corporis ambitus turgeant, & non raro vasis ruptio erumpat furorque nervis infusus omnia, quæ moveri possunt quatit, nisi ira incandescencia eo devenerit, ut mobilibus ad summum contractis corpus tetano universali rigeat.

Ex

Ex quibus omnibus elucet, in toto nervorum systemate latissime quam patet vim nervosam, qualiscunque sit, concitari, cujus effectus in musculosis præsertim partibus percipitur, cum, ob prævalidam injuriæ idæam, sensus ocluli sint. Adeoque omnes musculosas actiones intendi, ergo circulationem, indeque pendentem secretionem & excretionem augeri, nisi strictura musculosa retineantur.

Ergo etiam bilis secretionem & excretionem inter reliquas quoque intendi, cumque nulla vi musculosa retineatur, uti ex anatomicis perspicitur, ad intestina effundi, indeque partem resorberi, aliis humoribus haud sufficienter mixtam & subactam ad sanguinem deferri, vel ubi motus peristalticus nimis est in duodeno ut fere rigeat, effluxum coerceri, atque ad sanguinem per vasa communicantia regurgitare, motus febriles excitare, quales in ictero etiam ex eadem causa deprehendimus, necesse est.

Nullum itaque iracundiæ in hepar peculiare imperium nulla in nervos octavi paris & intercostalis singularis & præcipua potentia obtinet. Sed iræ effectus per totum æqualiter vagatur nervorum systema, & bilis phænomena ex singulari jecinoris fabrica & humoris quem secernit privatam indolem declarantur.



Primo enim evictum est omnem omnium vasorum oscillationem nervorum influxu regi.

Secundo: quosdam humores secretos continuo flumine ex organis secretoriis elabi, uti saliva, succus intestinalis, pancreaticus, bilis cet. alias in receptacula collectus sphincteris musculosi vi coerceri urinæ & seminis exemplo.

Tertio: iræ efficaciam in stringenda fibra musculari potissimum patefieri, indeque

Quarto: iræ tempore humores sphinctere cohibitos magis coerceri.

Ex quibus collectim sumptis sequitur, systema venæ portarum, tempore iracundi fervoris, iter sanguinis ad bilem fecernendam æquali celeritate præcipitare, quam reliqua vasa sanguinem ad secretionem succi salivalis, gastrici, intestinalis cet. vehentia, id quod ex spuma oris, diarrhæa, furorem sæpius sequente declaratur; sed cum maxima sit ratio vasorum ad hepar concurrentium, si cum reliquis visceribus compares, maximus quoque ibi erit comitati motus effectus, perque viam liberam, quæ bilis subducitur, majori nunc & accelerato rivulo ad intestina ruet, nisi omnia ex summa iræ ferocia rigeant.

Deinde





Deinde bilis natura alcalescens & phlogistica inter reliquos infimi ventris humores maximæ est in mutando corpore efficacæ, ut nullus alius, quippe qui mites & blandi deprehendantur, motus tam enormes excitare valeat, si semen exceperis, vel in casibus quibusdam urinam. Qui succi tamen suis coercentur receptaculis, ut tam subitaneo motu vix corporis œconomiam turbare possunt, uti bilis in variis v. c. in cholera, febribus biliosis & iracundia.

Tandem ex nervis per iracundiam virosi aliquid nostris humoribus admiscetur, valde activum, quod ex morsu rubidorum animalium & hominis irati, ex lacte post iracundiam acri & virulento adparet. Adeoque si bili quæ per se jam acris est, & irritantem vim possidet, ex nervis caustica quasi vis addatur; vehementes motus, in sanguinem suscepta ciere, tumultuosam febrim excitare omnino valet.

TANTVM.

---

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



71CA





15

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
SISTENS  
**HISTORIAM FEBBIS BI-  
LIOSAE CVM PLEVITIDE  
ET MILIARIBVS**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
ET

GRATIOSI MEDICORVM

PRAESENTIA

**D. WILHELMO  
TROMMELIO**

FACVLT. MED. ADS. ET PROF. P  
IMPERIAL. NAT. CVR. NEC  
SCIENT. M

*PRO GRADV*

SVMMISQVE IN MEDICINA  
RITE IMP

DIE X. APRILIS

PVBLCIS

AVTOR ET

**CAROL. ERNESTO**

HAAGO-AN



ERFORDIAE

EXCVD. HENR. RVING

